1524.



# Sigismundus primus rex Poloniæ, Clementi septimo pontifici maximo.



Sanctissime etc: Affectus summa molestia ex ternis literis vestræ sanctitatis, quibus intellexi preces nostras cum de rebus aliis satis levibus et æquis, tum de confirmando episcopo Plocensi à nobis designato, inanes apud sanctitatem vestram extitisse. Licet nondum ad eas literas, quas de illustri Joanne Alberto marchione et magistro Prussiæ satis diffusè vestræ sanctitati scripsimus, responsum habeamus; suspicantes tamen nonnihil, quod veremur, et nè quid intentatum relinquamus, quo citra turbam et cum gratia vestræ sanctitatis, ius nostrum asseramus, mitto ad illam hunc nuntium generosum ac nobilem Hieronymum Laski, qui latiùs nostras rationes eidem vestræ sanctitati exponeret. Itaque supplico, velit illi plenam fidem adhibere, ac vel mea causa, qui utique id merui, vel si adeo cordi non sim sanctitati vestræ, saltim ob bonum statum ecclesiæ, et totius christianæ reipublicæ, ipsū nuntium nostrum benigne et clementer absolvere dignetur, valeatque felicissime vestra sanctitas, cui me iterum, regnumque et dominia mea ex corde commendo. Datum Cracoviæ